

## Coleoptera nova Imperii Rossici.

Ab A. Starck, in Utsch-Dere, descripta.

### III. \*)

#### 1. *Acanthoderes clavipes* Schrnk. var. nova **lucidus** mihi.

*Toto corpore latior quam Ac. clavipes, pilositate obtectus densiore ac albiore, ut multo clarior adspectu quam clavipes; elytris balteis angustioribus ac acrius pictis; articulis anticorum tarsorum densa ac longa pilositate a lateribus obtectis.*

In Utsch-Dere una cum vero *Ac. clavipede*, qui autem multo rarior, capi potest.

#### 2. *Plectes Imperator* nov. spec. mihi.

*Major, latus, satis depressus, niger, supra cupreo-auratus, micans; capite brevi, robusto, fere laevi; antennis dimidio corporis longioribus; thorace latiore quam longo, rare ac subtiliter punctato, basin versus angustato, ad apicem valde dilatato, angulis anticis rotundatis, posticis acutis et rursus valde productis, thoracis marginibus antico ac postico sinuatis; elytris abbreviato-ellipticis, transverse rugosis, elytris tribus tuberculorum seriebus obtectis, quarum serierum quaque ab altera tribus seriebus carinarum rugulis interruptarum et levissime prominentium determinata; elytrorum apice levissime sinuato; episternis metathoracis valde epipleuri elytrorum marginem superantibus. Long. 36 mm.*

Inter *Pl. Starcki* Heyd. et *Pl. obtusum* Gnglb. locari potest. Habitu communi *Pl. obtuso* similis, angulis autem thoracis acute productis ad *Pl. Starcki* proxime accedit. *Pl. obtuso* relative latior; elytrorum latitudo 12 mm, longitudo 20 mm, cum apud *Pl. obtusum* elytrorum longitudini eidem latitudo solum 11 mm respondet. Subtus niger; abdomine extremo tarsisque piceis, prosterni lateribus et mesothoracis ac metathoracis marginibus colore aeneo viridi vibrantibus; palporum extremis articulis rufis. Supra visus cupreo-auratus, ad margines viridicupreo colore vibrat. Capite gaudet depresso, lato, quam thorax autem valde angustiore, supra basin versus subtiliter transverse rugoso, apud utrumque oculum impressione setulaque affixa, caveis frontalibus longis profundisque, oculis prominentibus;

\*) II. Wien. Ent. Ztg. 1889, pag. 311

antennis modice crassis, nigris, valde longis, ut longitudinem dimidii corporis multo superent, articulis quatuor primis exceptis densa pilositate fusca brevi obtectis; mandibulis robustis; palporum maxillarium articulo secundo valde decurvato. Thorace subquadrato, latiore quam longo, relative thorace *Pl. obtusi* latiore; thoracis latitudo maxima 9.5 mm, basis 7.5 mm, longitudo 6.5 mm; apud *Pl. obtusum* autem eidem longitudini latitudo 9 mm respondet; thorace basin versus valde angustato, ad apicem dilatato, ut latitudo maxima ad apicem proxime accedat; angulis anticis rotundatis, posticis acutis rursumque valde productis; marginibus antico ac postico valde sinuatis; rare transverse rugoso, subtiliter medio, ad angulos densius punctato; prope angulum posticum utrumque cavea impressa, thoracis latissimi margine laterali utroque tribus punctis profundis splendore viridi gaudentibus impressis; medio thorace ab antico usque ad posticum marginem canaliculo profundo impresso. Scutello parvo, laevi, subrotundato. Elytris depressis, abbreviato-ovatis, thorace multo latioribus, latitudine maxima propius ad apices accedente; relative latioribus quam quibus *Pl. obtusus* gaudet; epipleuro elytrorum sensim ad apicem minuyente; ad apicem elytris subtiliter sinuatis, angulis apicalibus rotundatis; elytris supra transverse densa rugositate obtectis; elytro utroque tribus seriebus tuberculorum obsito, quarum serierum interstitiis tricarinatis, carinis exiguis rugulis transversis interruptis, inter suturam ac seriem primam et post seriem tertiam spatiis eodem modo bicarinatis; basin versus tuberculorum carinarumque seriebus collevatis, apices velut reti punctorum rugarumque obtegentibus; eodem modo marginibus lateralibus late reticulatis; ipso margine laterali punctis prominentibus impressis densa serie ad humeros duplici. Prosterno gaudet laevi; prosterni apice una cum ei in mesothorace respondente apice densis fuscis pilis obsito. Pedibus longis, femoribus et tibiis punctorum profundorum serie duplici impressa; tibiis spinosis; tarsis longis, tenuibus, spinis minimis densa serie obtectis; quatuor articulis primis tarsorum anticorum valde dilatatis. Subtus abdominis articulis duobus primis rare, profunde punctatis, articulis sequentibus ad marginem apicalem binis punctis exiguis impressis, excepto ultimo articulo, qui quatuor punctis gaudet; superiore abdominis parte cujusque articuli apice profunde punctato.

Unicum ♂ exemplarium speciei hujus pulcherrimae a me in Utsch-Dere, ad oram maritimam Caucasi occ., 15. die Julio mense 1889 anno captum est.

Martio mense 1884 anni ibidem in Utsch-Dere in stipite putri partem elytri apicalem eiusdem speciei inveni, ex qua honorabilis et illustrissimus ille S. Ganglbauer jamdudum hanc speciem novam esse judicavit.

Quod insectum vivum manibus captum aereum stridorem edidit; quod jam pridem nonnulla *Plectis obtusi* exemplaria facere animadverti; quonam membro stridorem facerent, non contigit, ut viderem. Aliae *Plectium* species, quas collegeram, nullum stridorem facere potuere.

3. *Pl. obtusus* var. *Adelaidae*, quae varietas a me breviter descripta est (Wien. E. Z. 1889, 11, pag. 56), thorace ad *Pl. Imperatorem* accedit adeo proxime, ut varietas haec *Plectum obtusum* cum *Pl. Imperatore* conjungere videatur. Sunt nonnulla *Plectis obtusi* exemplaria cum ♂ tum ♀, quae supra colore aeneo-viridi vibrant (var. *semiadelaidae* mihi), quae exemplaria forma vera angustiora sunt thoracisque structura media inter *Pl. obtusum* verum ac *Pl. obtus.* v. *Adelaidae* arbitranda.

#### 4. *Plectes Basilianus* nov. spec. mihi.

*Convexus, ellipticus, niger, supra aeneus, aurichalceo-tinctus; capite lato, brevi, laevi; antennis brevibus, crassis, dimidio corporis brevioribus; thorace subrotundato, latiore quam longo, media parte latissima, angulis omnibus prorsus rotundatis, margine postico fere recto, antico subtiliter sinuato; elytris valde obovatis, utroque elythro septemcarinato, quarum carinarum series 2, 4, 5 et 6 punctis sunt interruptae; elytrorum apice non sinuato fere episternis metathoracis epipleuri elytrorum marginem superantibus. Long. 30 mm.*

Omnium *Plectium* species maxime convexa, quam ob rem prorsus originalis. Subtus niger, palporum apicibus rufis exceptis; supra aeneus, aurichalceo-tinctus. Capite gaudet lato, satis convexo, laevi, oculis non exiguis, valde prominentibus; fronte utroque oculo insuper ternis punctis impressis setulisque affixis; caveis frontalibus exiguis; palpis antennisque crassis brevibusque, antennis dimidio corporis multo brevioribus, articulis, quatuor primis exceptis, pilositate densa, fusca obtectis. Thorace convexo, subrotundato, subtiliter rare punctato,

parum latiore quam longo, media parte latissima; angulis omnibus prorsus rotundatis; margine postico fere recto, antico leviter sinuato; apud angulos posticos cavea cum binis punctis impressis, quoque puncto setula affixa; medio thorace canaliculo profundo a postico usque ad anticum marginem impresso. Scutello magno, triangulato, basi, apice, utroque apicis latere caveis profundis impressis. Elytris valde convexis, obovatis, ad humeros angustatis, ut latitudo eorum maximae thoracis latitudini aequiparent, ad apicem autem valde dilatatis, ut pars latissima (12 mm) a basi duplo spatio quam ab apice distet; (elytra 19 mm longa); utroque elytro septemcarinato, carinis valde prominentibus, earum apicibus collevatis, carinis 2, 4, 5 et 6 diversis locis punctis irregulariter interruptis; carina septima valde tenui; carinarum interstitiis subtiliter tuberculatis; carinis ad elytrorum apicem velut punctorum rete formantibus, eodem modo marginibus lateralibus late reticulatis; epipleuro elytrorum sensim ad marginem apicalem minuate; angulis apicalibus rotundatis. Prosterno laevi; prosterni apice una cum ei in mesothorace respondente apice densis fuscis pilis obsito. Pedibus brevibus, crassis, punctatis, spinosis; tarsorum anticorum quattuor articulis primis valde dilatatis. Abdominis articulis subtus rare subtiliterque punctatis, transverse rugosis; articularum apicibus supra dense profundeque rugosis et pilosis.

Unicum ♂ exemplarium hujus insignis speciei regione silvestri montis Aibga Caucasi occ. a me 8. die Julio mense anno 1889 captum in honorem rebus entomologicis assidue studentis amici mei adolescentis et in montes Caucasi occ. expeditionum mearum socii Basilii Constantinowi Universitatis litterarum Caesarianae Petropolitanae auditoris nominandum arbitror.

##### 5. *Plectes Starcki* Heyd. var. nova **monstruosus** mihi.

Forma vera multo latior; ♂ 23 mm long., 9.5 mm lat., thorace 4 mm longo, 6 mm lato, tum cum verus *Pl. Starcki* thorace pariter longo, sed 5.5 mm lato gaudet; ♀ 27 mm longa, 11 mm lata, thorace 5 mm longo, 8 mm lato, cum ♀ verae formae eadem longitudine 9.5 mm lata, thorace 7 mm lato gaudet. Niger, supra obscure-aeneus (♂ obscurior, ♀ clarior). ♂ capite, thorace, elytris dense transversim rugosis; elytris ad apicem

valde dilatatis, apice ipso pariter ac elytra ♀ sinuato utroque elytro carinarum tuberculorumque seriebus rugis transversis dense interruptis consperso, apice elytrorum pariter ac marginibus lateralibus rugosis.

♀ capite thoraceque quoque rarius quam ♂ rugosis; elytro utroque tribus seriebus tuberculis valde prominentibus consperso, quarum serierum spatiis acute carinatis; carina suturae proxima deest, vix ut ad elytrorum basin perspici possit; inter tubercula ac carinam interstitiis collevatis elytrorum apice marginibusque rugoso-punctatis.

Duo hujus varietatis exemplaria in copula in summa regione alpestri montis Hag Caucasi occ. cepi 8. die Augusto mense anno 1889, ibidem exemplaria nonnulla verae formae a me sunt capta.

**6. *Plectes Reitteri* Rtw. var. nova *paradoxus* mihi.**

♀ *valde parva, 22mm longa, subtus nigra, supra violacea; elytrorum sculptura habituque communi prorsus Pl. Starcki Heyd. simillima, structura autem thoracis dense punctati indubitabilis Pl. Reitteri est.*

Calendis Juliis anno 1888 in regione alpestri saltus Atschischcho Caucasi occ. a me collecta est.

**7. *Plectes Reitteri* var. nov. *laevisternis* mihi.**

*Minor, procerus, niger, ♂ supra obscure olivaceus, ♀ obscure violacea; longit. 28mm, cum Pl. Reitteri versus 32mm longus esse solet; thorace rare ac subtiliter punctato, cum vera forma thorace gaudet densis et profundis punctis oblecto; elytrorum sculptura pulcherrima, acute picta.*

Duo exemplaria varietatis hujus in copula sunt a me capta Augusto mense die 7. anno 1889 in regione silvestri montis Aibga Cauc. occ.

**8. *Pterostichus Starcki* Heyd. var. nov. *aibgensis* mihi.**

*Femoribus, basibus apicibusque exceptis, rufis; cum vera forma toto corpore pedibusque nigris gaudet.*

Haec varietas saepe in regione alpestri omnium montium, planitiem Aibga montanam Cauc. occ. continentium, inveniri potest.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1890

Band/Volume: [9](#)

Autor(en)/Author(s): Starck Alexandro (=Alexander) Eduard von

Artikel/Article: [Coleoptera nova Imperii Rossici. 71-75](#)